

Authoritate et consensu gratiosae facultatis medicae almae Eberhardinae, praeside ... Georgio Balthasare Metzgero ... Anatomen dentium human. / Publico ac solenni examini submittit Andreas Planer ... ad diem 26. Sept. anno MDCLXXXV.

Contributors

Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Planer, Andreas, active 1685-1686.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Martini Rommeij, [1685]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/stxbjhz8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

I. N. J.

AUTHORITATE ET CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

ALMÆ EBERHARDINÆ,

P R Æ S I D E

V I R O E X C E L L E N T I S S I M O

DN. GEORGIO BALTHASA-

RE METZGERO, Med. Doct. Prax. Ana-
tom. & Botan. Prof. Publ. Ord. Celeberrimo, Domino
Præceptore ac Patrono suo æviternùm
devenerando.

ANATOMEN
DENTIUM HUMAN.

Publico ac solenni Examine submittit

ANDREAS PLANER, Schorndorffensis.

30. Decemb.
Ad diem 26. Sept. Anno MDC LXXXV.

Auditorium
In Auditorio Medico.

T U B I N G Æ,

Typis MARTINI ROMMEII,

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis,
Experientissimis,*

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO, Phil. & Med. Doct. & Prof. Publ. in Perantiqua Acad. Tubing. Excellentissimo, Consiliario & Archiatro Würtemb. p. t. **DECANO** Spectatissimo.

DN. GEORG-BALTH. METZGERO, Med. Doct. & in laudata hac Academia, Prax. Anatom. & Botan. Profefs. Publ. Ordin. Celebratissimo,

*Dn. Patronis, Præceptoribus ac
Promotoribus suis æternùm
colendis*

Æximus hoc Medicum

379

**Amoris perenne monumentum,
Debitum grati Animi signum,
Suique ulteriorem commendationem**

submisit consecrat

ANDREAS PLANER

PROOEMIUM.



Agna Dentium cum reliquis ossibus, imò supra hæc, apud Veteres veneratio, maxima in custodiendis his cura fuit, quod non modò ex his per Cadmum satis homines natos vanis superstitionibus tradiderint, sed & futuræ aliquando resurrectionis nostræ semina in his latitare impiè delirarint, Authore Tertulliano de resurrectione. Nos dentium humani corporis curam hic suscepturi, se positis his aliisque superstitionibus, eos, ut partes cum aliis usu non minùs præstantes, fabricâ non minùs admirandos, rimabimur & mirabimur. Faxit DEUS ut Feliciter!

THESIS I.

UT *Dentes* quasi edentes tantùm non omnium *Latinorum* Criticorum consensu audiunt, ita *Græcorum* ὀδόντες quasi ἔδοντες, ab ἔδω comedo, dicti censentur, allusione magis, quàm verâ etymologiâ, habito ad officium intuitu, quod in labore potissimum & studio edendi occupatum est, utut de vera origine hac *Lindanus* neminem dubitare putat *Med. phys. c. 13. §. 35.* at sine probabili, secundùm *Guernerum Rolsinccium*, fundamento; sunt n. eòdem *Autore*, vocabula primitiva & substantialia *diff. Anatom. l. 2. c. 27.* Sed securi de primitivis sive derivativis sunt *Anatomici*, modò rem explicent: ita linguam quasi lingentem nuncupant, licet alii quasi ligantem: utrumque festivissimâ suâ Musâ conjunxit *Ovvenus*:

*Dens quasi dictus edens, lingua à lingendo vocata;
Traxit ab officio nomen uterque suum.*

Vid. *Barthol. vindic. Anat. & animadvers. in Anatom. C. Hofman. Becmannus Hebraam* originem monstrat, quam, cui volupe est, evolvat de orig. lat. latin. ling.

II. Hos sub examinibus hinc nostri incudem vocaturis non res nobis est cum improprie & metaphoricè dictis dentibus, non cum *Hippocratis* dente, vertebræ secundæ colli ἀποφύσει, hominis præsertim caninum dentem aliquatenus exprimente, non cum *Gesneri* fossilibus de lapid. figur. depictis, non *Theoninis* invidorum *Poëtis* notis, non cum findentibus & secantibus *Varronis* & *Columellæ*, non tenacibus navis, non capillorum dentibus *Virgilii*, sed citra translationem certam oris humani partem intelligimus, mansionis instrumentum, quod *Ruffus Ephesus* κρᾶνθρας, alii cum *Ecclesiaste* molares, molitrices, vocant, id quod tamen nominis posterioribus molaribus specialis officii ratione in specie ita dictis competit, ut mox plenius constabit.

III. Sunt, partes humani corporis naturales osseæ, sed sui generis, per γομφωσιν utrique maxillæ infixæ, ad ciborum præcipue masticationem in ore necessariam formatæ.

IV. Partes esse humani corporis vel sola partium descriptio defendit, sive illam *Galen. 1. meth. med. 5.* sive alteram *Fernelii l. 2. phys. c. 2. mavis*, quas adplicæ. Quâ ergo fronte *Theophrastus Paracelsus* hominem dentatum post lapsum inter monstra refert, Adamumque & Evam ante lapsum dentes non habuisse, sed post eum, cum pluribus aliis partibus, ut *Carinthis* ex aquæ nivalis potu strumæ crescunt, demum accepisse somniat *lib. Azoth. c. 2. ?* Monstruosus ipse, qui monstrosa talia refutatione indigna temerè eructat, quæ *Dan. Sennertus* impiis aliis ejus dogmatibus accenset de consens. & dissens. Chim. cum *Galen. & Aristot. c. 4.* Nisi enim ad corporis complementum & usum facerent, cur natura, quæ nihil facit frustra, producit, cur tot vasis sanguiducis pro vita, aliis in alios usus, instruit? An verò osseæ partes sint, disquisitione accusationi magis dignum putamus. Negativam *Sophistarum* nonnulli *Galen* ævo defenderunt, contra quos hic idem stomachatur *lib. de ossib. ad tyron. cap. 5.* subscripsit tamen iisdem *Volcherus Coiter* Anatomicorum ætatis suæ primicerius his verbis: Opinor dentes non esse os, sed proprium aliquod corpus durius, candidius, & solidius, de ossib. infant. c. 4. Idemque *Artis Principi* placuisse vide-

tur, dum manifestum dentium ab ossibus divortium facit *s. aphorism. 18.* Adstipulantur plures, qui tot accidentia à cæteris ossibus maximè aliena in dentibus observant, sensum exquisitissimum, generationem & regenerationem aliorum ab ossium generatione longè diversam, auctorem quasi perpetuam, periostei defectum, duritiem verè mirabilem, ferè igni & ferro insuperabilem & sexcenta alia, ossium, ut videntur, morem non redolentia, naturam non referentia; unde ipse *Peripateticorum Coryphæus* hæsitat remque incertam relinquit osseos modò dentes vocans *1. hist. animal. 11. modò ossium naturam æmulari scribens 3. de hist. anim. 9. Philosophus per ignem cum fido suo Oreste Osvaldo Grembsio non tam ossa quàm lapides animales dentes dicere audet horumq; materiam intra os & petram neutram habet, de alim. tartari insont. & lib. 1. arb. integr. & ruinos. hom. c. 7.*

V. Sed omnia hæc talia & tanta non sunt, ut ossium ex albo dentes proscribant, & toto genere ab illis differre evincant, quin potius cum *Galeno* concludimus *l. d. ossa omninò esse, sed sui generis, aut ut cum subtilitatum Doctore loquamur, ad Cardan. exerc. 291. s. 2. suæ speciei;* ossium enim nec unus modus, ut nec carnis. *Johan. Theod. Schenckius* alterum quasi genus ossium appellat, *schol. Anat. part. human. corp. p. 2. c. 6. sect. ultim.* Sensus exquisitus contrariè nihil persuadet, qui non ipsius ossei dentis, sed membranulæ cavitatem & radicem succingentis & nervi ad ipsam osseam substantiam penetrantis est. Sentit dens pro toto instrumento si sumitur ex osse, nervulo, membrana, constante, pro sola ossea substantia sumptus non sentit ex *Diemerbroccio lib. 9 Anat. c. 10.* eò usque si sectio, limatura, ustio, punctio penetrant, sensiles fiunt, secus sensus nullus est. Quomodo hic fluctuet *Bartholom. Eustachius* videatur *l. de dentibus cap. 26.* cui junge *C. Hofman. l. sing. de part. simil. c. 17.* qui non dolere sed condolere, aut videri potius dolere dentes, ex eodem fundamento statuit, ossaque ita omnia sentire, quanquam levissimè, *Avenzoar, Cardanus, Mercurialis, Laurembergius,* concedunt, quibus tamen *hic idem & Diemerbroccius l. c.* satisfaciunt. Jam citatus *Schenckius,* cur ossa non sentiant, rogatus. *R. quia ad ea vel paucus vel nullus lucis animalis influxus fit. l. d.*

VI. Cætera, quæ adduntur, argumenta, aut ignarorum sunt, aut inconsideratorum secundùm *Lindanum h. d. 5. 27.* Genera-

tonis suæ rudimentum omnes in utero sumunt ex eadem cum ossibus aliis materia, nec renascuntur, qui exciderunt, sed subnascuntur alii, non novi, extra uterum tum demum nati, sed in utero jam antè generati in publicum sive lucem prodeunt, quod cum *Bartholom. Eustachio l. d.* pluribus infra probaturi sumus. Auctorem quasi perpetuam necessitas imperat: quotidie enim ut atteruntur sub masticatione, sic quotidie etiam augeri necessum habent, ni deficere velint. Augeri verò ad annum quadragesimum *Helmonius* observavit; *Thom. Bartholinus* ad extremum ferè senium concedit. Periosteum in superiori præsertim superficie opus non habent, ob *deinde* certissimam, sub quotidiana ciborum masticatione & continuo aëris occursum, cujus in inferiori gingiva satis sensibili membranosa & nervosa fibrula ad radices excurrentes vices gerunt. Duritie quidem reliqua ossa superant quasi petrosa, non ea tamen, quæ ex *3. de animal. histor. 7.* ferri aciem eludit, aut ex *Plinii l. 36. hist. natur. c. 17.* ignis omnia consumentis vim contemnit. Utrique enim sensuum fides & experientia contradicunt. Prius Juvenes in Insula Tendaia factò ipsò refutant, qui dentes ad radices usque secandas curabant, ut duriores firmioresque redderentur, & arboris instar decacuminatae crassescerent magis, *Scaligerò teste l. d. exerc. 271.* Alterum quotidiana Chemicorum experimenta tollunt, qui non modo animalium cornua & ossa, sed & dentes calcinatoriò igne de facili domant & emolliunt, etiam sine *machina digestivis Papiniane* ope, qua de *Acta Erud. Lips. A. 82. p. 150. & 306.* consuli possunt. Alià etiam occasione corrumpi, cariem sentire, calcinari quasi & friabiles reddi dentes, extra omnem dubitationis aleam positum est. Sub crebrioribus acrioris materiæ nimbis huc delabentibus excavari & deficere, nemo non novit; hos in foemina scorbutica quotidie frustillatim à levi contritione decedentes vidit *Mæbius fund. Med. Physiol. c. 9.* Mercurius quocunque ferè modo in usum ductus internecionem minatur, vitrioli, aq. fortis & hujus farinae alia eadem patiant; nec ideo laudandus *J. Bapt. Montanus in Consult. Med.* qui talia cum compluribus affeclis in dentium dealbatione & soliditate ad cælum usque extollit *consil. III. & 113.* magis *Timus* audiendus *lib. 1. Cas. Med. 40.* Saccharata, dulcia alia idem infortunium machinari jam vulgo innotuit; dolendum autem quàm maximè, non notari hoc à nostratibus, sub pessimo hujus loci more,

more, quo saccharatis & dulcibus omnis generis linteò involutis & inter lactentium gingivas dies noctesque voluntatis vix natis infantibus in prima statim herba, imò ipsâ radice dentes corrumpunt, omnemque ita per totam vitam, anteriorum præsertim, gelasinorum, spem adimunt, cum extrema oris turpitudine; secundum enim *Poëtam*:

Ingrata est facies, cui gelasinus abest.

VII. Cæterum substantia hæc dentium ossea non sui ubique similis, si accuratè rem videas, apparet; exterior pars solidior & durior, interior paulo mollior est, manifestam intra se cavitatem tegens, ampliorem in pueris & ad septimum usque annum tenui squama instar favorum apum circumseptum mucosque repletum, in adultis v. resiccato humore diminutum; quò positò augeri modo, modò atrophiam laborare cum aliis partibus & ossibus ipsis videntur, licet minus sensibiliter, ob durioris substantiam & resistantiam majorem, si cum mollioribus compares. Relatu memoratuque dignum de ossibus casum vidit *P. Poterius* in juvene tabe laborante, cui cum reliquis partibus ossa pariter ita contabuerunt, ut infantium annorum duorum crassitiem vix æquarint, caputque ipsum in naturali sua magnitudine mirum in modum desciverit.

VIII. In universum autem hæc candor potissimum commendat, quò, qui magis gaudent, homines, margaritas in ore habere, non dentes, ut de Zenobia Trebellius Pollio judicavit, affirmares, qui tamen secundum ætates maximè variat, ætatesque inde, ut in brutis, ita pariter in homine, distinguuntur. Qui enim dens, *Helmontii* verbis, post octennium hominis candore vitri opaci, (quod colore lactis lattimo Artifices vocant) vel lapidis limacis refert, idolefcens est. Splendidus & politus est color albus; deinde sensim pallescit, mox dein surdè albescit, tanquam ebur; juvenus est dentis. Tum postea obscurè pallet, ut in syncopizatis & deunctis virginibus spectatur, estque ejus ætas virilis. Atque tandem pallidè flavescit ossis instar pristinumque amittit nitorem; senilis dum ætas dentis incipit. Postremò autem dens cariosus, avus, niger, verminosus & olidus est ætas caduca dentis. Hæc *lle. l. alim. tartar. insont. §. 25.* Ab ipso etiam aëre mutari, idem testis est, §. seq. habentque Australes Borealibus dentes nitidiores; ruuntur quippe aëre dentibus benigniore; ob hanc aëris benignitatem

tatem secundum *Prosp. Alpinum de Med. Ægypt.* & fortè *Aquæ Niloticæ saluberrimæ potum ex Petr. Joh. Fab. panchym. l. 4. s. 2. c. 17.* Ægyptiorum dentes juventutem suam servant & vigorem, nec cariem sentiunt nec dolorem. P. n. inter alios naturaliter albicantes dentes erupit unus in infante Hebræo anniculo, totus, quantus quantus, niger, per integrum ferè annum innocuus, sensim tamen sensimque omnibus post aliis scabiem suam affricuit, cum vitæ etiam dispendio, in *ephem. Germ. anni 1. obs. 5.*

IX.. Candor hic naturalis subinde quasi sub tegmine facularum vices tueri videtur, in umbroso præsertim corpore Æthiopum, lumenque seu ignem intentò velut digito monstrat, quem vivi subinde dentes ferrò, lapide, aut lignò percussi de se silicis instar evomunt, testibus *Bartholinò cent. 2. histor. Anatam, 24. Johanne Rhodio c. 1. obs. Med. 96.* Imò quod mirum dictu, in mortuo gignantis dente inclusus quasi foveis splendor mobilis, obscurò etiam locò, comparuit, Autore eodem *Bartholinò de luc. Animal. c. 13.* Unde *Conringius* non absque ratione dentes vivi corporis, contra communem, impensè calidos dicere non erubuit *disp. de nat. & dolor. dent. cum Autore de carnib. nihil frigidi dentibus inesse concludente.* Porrò ut naturâ viperæ dentibus venenum inditum *Bald. Abbatius de viper. c. 4. 5. 6.* operosè propugnat, ita virus quoddam s. venenum inesse dentibus hominum, ex *Plinio* multis persuasum est, quod eadem, quæ brutorum animalium morsum sequuntur, symptomata, hominum iratorum etiam morsus excipiant; exempla suggerunt *Hildanus cert. 1. obs. 84. & seq. c. 4. obs. 87. de ichor. & melicer. c. 2. Domin. Panarolus pentecost. 2. obs. 88. & alii.* sed nolumus nunc id prolixius disputare, an Venenum in natura absolutè detur, quo de dubitat *Joh. Faber Lynceus in expos. Animal. nov. Hispan. Nard. Anton. Recchii p. 782.* Naturâ autem dentibus venenum inesse, nulla ne probabili quidam ratione defendi posse putamus, nec symptomata dentium morsus subinde comitantia nos in contrarium vocant, quæ non dentium mordentium producta sunt, sed altiori sine dubio causæ debentur, unde nec omnes morsus, sed iratorum animalium, hominum, non omni tempore, non mortuorum, sed vivorum dentium læsiones sequuntur: dentes in se innoxii; ira vel mens eos armat in perniciem ex *Ettmülleri disp. de mors. vip.*

X. **Situm** dentium operosius in homine inquirere, opus non est, qui vel leviter diductis labiis eleganti eoque simplici ordine in utraque maxilla visui se sistit, claviculorum lyræ instar, aut, secundum *Galenum*, chori hominum in formam, singularique naturæ prudentia superiores inferioribus ita commissi sunt, ut motâ inferiori maxillâ ad superiorem forcipis instar mutuâ operâ cibum arripiant, forcicis instar conscindant. Ex ordine hoc tam concinno *Galenus* naturæ operum calumniatores reprehendit, qui artificiosum hoc naturæ opus fortuito atomorum concursui adscribunt *ii. de usu part. 8.* Subinde verò simplex illa series duplicatur, rarius triplicatur; Illud de *Mithridatis* Regis filia *Dripetina* *Valerius Maximus* reliquit *l. 1. c. 8.* de Galliarum quondam Rege Christianissimo *Ludovico XIII.* Historici alii asserunt: hoc *Columbus* de puero suo *Phæbo* testatur *Anat. l. 1. c. 10.* In utriusque maxillæ ambitu suis singuli alveolis distincti occurrunt, hisque per *γύμφων* clavorum aut cuneorum in modum, in minoribus & anterioribus unâ, in majoribus & posteribus duplici, triplici &c. radice infixi, gingivis circumdati, fibrillis & membranulis fortiter alligati, ne vacillent in officio, aut locum mutant. Rarioribus E. annumerandi, qui planè continuos dentes habent, quod de Prussiæ Regis *Bithyniorum* filio, qui pro superiore dentium ordine unum os æqualiter extensum habuit, ex eodem *Valer. Maximo* *l. d.* constat, idem nobis videre ante hac contigit *Francofurti* in matrona honoratissima; nobili *Cracoviorum* in *Pomerania* id familiæ quasi hæreditarium fuisse, *Timæus* *l. 5. cas. med. 10.* refert.

XI. Flaccescentibus, laxatis, corrosis, ruptis ligamentis illis vacillare incipiunt dentes, & extractionem facilem spondent, imò spontaneum casum minantur. Hæc se stratagemate plerumque circumforanei muniunt, & narcoticorum, opiatorum ope, erodentium succorum è lactè tithymali, viridis ranunculi, inunctione præmissâ, levi tactu, sine dolore, sine instrumento, extractionem promittunt, & non rarò præstant. Alias in hoc Chirurgiæ genere, quas admittunt male feriat, fraudes, dentes fusò, case, digitis vix admotis, extrahendo prodit *Borell. cap. 1. obs. med. 2.* Fumum tabaci præmaturam dentium jacturam facere, *Miscell. curios. German. dec. 2. A. 2. O. 163.* asserunt. Scorbuticam amurcam laxare, corrodere, mortificare fibrosos hamulos hos, cum præsentis den-

B

tium

tium elapsus metu, observatu in praxi novum non est; admiratione verò dignum à mercuriali inunctione & salivatione ita loco moveri dentes, ut jam elabi videantur, paucorum tamen spatio dierum iterum firmari. Violenta per dentiducum extractio, fortuita per casum, ictum, excussio, vincula abrumpunt ut excidant. Repositos aurem tales in alveolos suos radices iterum agere, & pristinam recipere firmitatem, fidem ferè superat; casu delectam artem hanc *Borellus memorat. c. 1. obs. 10.* cum dentes quidam tres ictu amisisset, idque ægrè valdè ferret ob deformitatem, eos subito reposuit joci gratiâ & firmatos iterum suo loco deprehendit. Alius Chirurgus per errorem sanam dentem extrahendo, cum cariosum quæreret, reposuit illum subito, & gargarismate adstrictiori nec non quiete à masticatione ad dies aliquot imperatis, præscriptis interim liquidis alimentis, restitutionem in integrum obtinuit apud *Laz. Riverium in comm. obs. Petr. Estanovs Chirurgi Monspeliensis obs. 15.* de alienis hoc dentibus *Riolanus negat Enchirid. Anatom. l. 4. c. 8.* de modo successus *Borellus philosophatur. l. d.*

XII. Sub naturæ aberratione & p. n. accidit nonnunquam, quod alveolos hos deserant dentes, & medium aliquando palatum occupent, quod *Plinius* notavit *l. 2. hist. nat. 37.* *Johann. Schenckius* in compatre suo vidit, *in obs.* nec ignoravit *Eustachius*, idemque in *Professore* quodam hujus ante hac loci laudatissimo observatum. *Diemerbroccius* ex radice incisorii superioris excrevisse in palato alium eâ longitudine, ut linguam perforavit, bis vidit *Anat. l. 9. c. 10.* similem cum loquelæ & comestionis, antequam tractu temporis acies ejus atterebatur, incommodo *Schröckius senior* observavit. *obs. Phys. Med. Joh. Helvvigi 29. in schol.* Sed quâ viâ, quomodo, ad aures pervenit cum pure inde effluente ejectus apud *Thomam Bartholinum c. 3. Epist. Med. 17.* doctissimæ *Bartholini* conjecturæ l. c. videri possunt; si nostræ etiam locus aliquis datur, sub accuratio-ri circumstantiarum examine, rem omnem Dæmonis præstigiis acceptam referendam esse arbitramur, quarum similes *Wierus* non uno in loco, *Sennertus lib. 6. prax. p. 9. c. 5.* *Gregor. Horstius Epist. Med. sect. 7. Timæus l. 7. cas. med. 24.* & alii collegerunt.

XIII. Numerò plures sunt diversis nominibus, tempore eruptionis, conformatione, situ, & usu distincti. Ordinariè, sub debità ætate, duo de triginta occurrunt, quibus si quatuor genuinos addi-

addideris, ad duos supra triginta excurrunt, quos & Hippocrates de-
 structur. hom. & Pergamenus de ossibus c. 5. & 11. de usu part. cap. 8.
 agnoscunt. Sexus quidem respectu Philosophus fœminis pauciores
 tribuit. 2. de hist. animal. 3. cui ex parte Antonius Molinetti in Ana-
 tom. ad stipulari videtur; sed contra experientiam & puerili se-
 cundùm Mercurialem errore 1. 2. de morbis pueror. c. 16. Turtuli,
 populi Hispania, pluribus gaudere feruntur; sed & hoc Autor citat.
 l. d. tabulosum censet. Anteriores, *τομείς, sectores, incisores*, ab offi-
 cio nuncupati, primò molles præsertim cibos morsu incidunt, nu-
 meroque octo sunt, acuti & lati, ut præstare, quod nomenclatura
 spondet, valeant, simplici unâque radice firmati, quos, dum riden-
 tes diductis labiis ostendimus, *risorios & γελασίως Antiquitas* dixit.
 His ad latera utrinque supra & infra proximi adstant quatuor alii,
 qui quæ prioribus incidi propter duritiem debitè non potuere,
 majori vi dividunt & frangunt, à canum dentibus, sive formam sive
 usum videas, parum dispares, unde etiam *Canini, κυνόδοντες*, ubique
 audiunt, quorum duo superiores *oculares* vulgariter intitulantur,
 quod radicibus suis ad oculos usque pertingant, vel nervi oculo-
 rum motorii per secundum in se derivatum recipiant, unde extra-
 ctio horum periculosa metuitur; sed utrumque negat *Diemerbroe-
 cius* radiceque suâ ut plurimum curvâ maxillæ inhaerentes, quod
 non rarò etiam incisoriis commune est, vix sine alveoli portione &
 oculi consequenter vicini periculo evelli possint. Hoc & alia
Thom. Bartholinum, ut difficulter huic se operationi subiceret ve-
 stigii aliorum teritis, avocarunt. c. 5. hist. Anat. 54. Pauciores
 hi sunt præ reliquis, ne cum dentibus pluribus caninis canum simul
 mores induat & mordeat Animal *πλιπκόν*. Firmissimè suis infi-
 dent alveolis figurâ acutiores, radicibus alè infixis, robustiori-
 bus, magnisque sæpe oneribus levandis paribus vid. *I. Rhodium c. 1.*
obs. Med. 93. tales à natura armati ad mordendum & pugnandum
 nati videntur *Johanni de Muralto in vad. mec. Anatom. p. 187.*

XIV. Sequuntur molares in interna oris parte sub buccis oc-
 cultati, basi amplâ asperâ & inæquali præditi, cum annis tamen &
 usu lævigantur; *τεσπίζας*, mensas figuræ intuitu appellant. Mola
 quasi oris hâc est, ut quæ sub incisoriis incisa, sub caninis fracta, ab
 utrisque ita præparata sunt & comminuta, ut molæ iam apta sint,
 hic molantur & lævigentur. Numerus in homine, *Galenò* autore,

incertus, ut plurimum tamen viginti numerantur in univ^{er}sum, radicibus pluribus præsertim superiores paucioribus inferiores appensi, quibus genuini *Plinio* dicti accedunt, molarium ultimi, ante pubertatem rarò prodeuntes, quos *ὀψιγόνως* idè seu serò genitos *Pollux* appellavit, *Hippocrates* sapientes, *σωφρονισθεας*, *Avicenna* intellectus & sensus, qui numerum perfectum complent. *Μακροβίως* esse pluribus dentibus instructos, *βραχυβίως* paucioribus & rarioribus, *Hippocratis* & *Aristotelis* opinio stabilit; idem de tardè prodeuntibus ominantur alii, quod longiores vitæ, contra citò exeuntes brevioris, possessores sint. vid. *Ephem. N. C.* anni 8. *obs.* 47. Pro priori *Bartholinus Anat. de dentib.* probabilem rationem adducit; alterum *Lachmudus* explodit *Ephem. N. C.* n. 16. *obs.* 183.

XV. Magnitudo in homine ad alia animalia exigua est, ut oris capacitati respondeant; brevitatem robur compensat. Plerique omnes etiam majusculi drachmæ dimidiæ pondus non excedunt. Notatus tamen apud *Gesnerum l. 4. Animal.* ut ut circa radices truncatus, unciarum duarum fuit: molarem in *Urticensi* littore adè ingentem *August. de civitate DEI*, & cum ipso alii conspexerunt, ex quo in nostrorum conciso minutatim modulos centum, ex alio in *Britanniâ* viso apud *Candemum* ducenti extrui potuissent. *Vienam Austriæ* transmissum libras quinque cum semisse pendentem *I. Petrus Poterius t. 5. Theatr. Europ.* describit. Longiores deficiente oppositò fiunt, it. laxatione, vacillatione: elongationem mirum in modum factam ex *hydrargyrosi Nicol. Benningerus c. 5. obs. m. 70.* depingit.

XVI. Vasis, ut vivant, arteriosis à carotidibus, venosis à jugularibus, nervosis à 3. aut 5. paribus, oriundis gaudent, quæ velut in funiculum membranulæ ope constricta sub dentibus decurrunt, tenuibusque singulos radicum porulos furculis ingrediuntur. Ingressus hujus modum vasorumque distinctionem, in hominis præsertim in *cisoriiis* & *caninis*, oculis nostris vix, imò ne vix quidem, penetrare possumus; in majoribus tamen brutis id observatu facile est experimentumque *Diemerbroccius* in bove fecit, nec aliter se in homine habere, à posteriori dentium vita, nutritio, hæmorrhagiæ non infrequentes, subinde lethales, pulsus, sensus exquisitissimus, volunt. In porulis his *Boyle*, post *mercurialem* inun-

tio-

tionem, mercurii, sub dentis extractione, gutulam, doloris acerbissimi causam, deprehendit *de por. c. 7.* Nec de Lymphaticis multorum huc ruentium fluxionum p. n. fontibus dubitandum. *Theod. Schenckius* vasa salivalia ad dentes terminare largitur, unde erosionem & tartarum dentium, seu *Helmont.* verbô, lapides dentales, quos gingivarum hic excrementum incongruè putat, accersit *in schol. Anat.* at quid hæc nisi lymphatica? vid. *Segerum Epist. 3. de vas. Lymph. sub fin.* Ex vasorum horum commercio consensus dentium cum variis partibus, deductu non difficilis. Hunc cum genitalibus *Dd.* plurimi non incertis exemplis defendunt, cujus tamen ratio potissimis obscura est, quam vasa sanguinea manifestè produnt, quorum indultu menses suppressi per dentium alveolos viam sibi plus simplici vice aperiunt: *Historias Zac. Lusitanus l. 1. pr. admir. obs. 91. Joh. Rhodius c. 3. obs. M. 51.* consignarunt. Manifestior cum auribus communio est, mediante nervô; baculo enim dentibus uno extremo prehensô alterô terræ infixô adventantis è longinquo accessus auditu percipitur; limarum strepitu dentes stupent, spiritu ob communionem nervi agitatô; cauterium, auris antitrigo ad motum, incantamenti in modum, odontalgiam, loquente experienciâ, sedat, quod *Riolanus* surculo arteriæ hîc ad dentes descendenti & microscopiô sibi observato tribuit, quem sine velo *Nathanael Highmorus* in apricum sistit *disp. Anat. l. 3. p. 2. c. 6. Anacephal. 260.* In aliis Lymphatica suum etiam symbolum conferunt.

XVII. Circa generationem, sive materiam quæras sive tempus, litis omnia plena sunt. *Autor antiquissimus de carn.* materiam quidem dentium in genere glutinosum pingue capitis & maxillarû à calido exsiccatum & in singularem à reliquis ossibus duritiem exustum statuit; mox triplici eruptionis dentium tempore seductus triplicem quoque materiam subjungit, primosq; in utero ex uterino victu, secundos post nativitatem ex mammæ lacte, tertios, prioribus delapsis, ex cibo & potu pronasci asserit. Communiter ex semine cum partibus spermaticis aliis fieri volunt cum *Andr. Laurent. 2. hist. Anatom. quest. 13.* Contrà *Guilhelms. Harvejus* nullam partem ex semine, omnes ex sanguine nasci contendit, *de generat. animal.* primaque dentium stamina e sanguinis colliquamento deducit. *L. Conrad. Peyerus* mucum viscidum, unde dentes constant, appellat *de*

rumination. Alii aliud principium nominant. *Bartholomeus Eustachius*, oculatissimus sui temporis Anatomicus, litem omnem composuisse videtur, qui dentes omnes in utero primum accipere rudimentum & ex eadem cum reliquis ossibus materia generari docet, *eruditissimo de dentibus opusculo.* Prius *Avicenna*, cui ipse *Eustachius* innititur, ab unce confirmat, huicque, qui oculos suos consulunt, non inviti subscribunt. In maxillis enim nuper natorum, etiam abortuum, artificiosè dissectis non unâ tantùm serie dentes partim mucosi partim ossei in alveolis suis dispositi decurrunt, sed doctâ his manu demtis, tenuissimò separatis interstitiò, alius minutulorum ordo in conspectum venit, qui folliculis inclusi, primis defluentibus, destinatò tempore sensim accrescentes succedunt: obtinetque hoc non tantum in minoribus incisoriis & caninis, sed & majoribus. *Riolanus* molares in extremis maxillæ veluti punctula notavit *Anatom. enchirid. l. 4. c. 7.* Nec ratio ulla subest, cur unus præ aliis, minores præ majoribus, citius magisque prima in utero sibi stamina exprocent, cur diversò locò, tempore, ex diversa materia fingi delinearique credamus. Qui contra sentiunt, eruptionem magis quam generationem intendere putamus: citius aut tardius erumpant hi vel illi quibuscunq; de causis & impedimentis, de quibus mox, communem tamen hòc ipsò originem aut generationis locum eundem non tollunt. *Realdus Columbus* de his in utero natis dentibus plerosque ne verbulum quidem, re fortasse nondum cognitâ, reliquisse conqueritur *de re Anatom. l. de oss. c. 10.* sed non sine gravi veterum injuriâ; horum enim *Autor antiquissimus l. c. de carn.* expressam mentionem fecit, nec intactos *Galenus* dimittit *lib. 2. de sem. c. 5.*

XVIII. Alterum Eridos inter Dd. pomum est, ut patuit, *materia dentium*, Nobis si interstrepere hinc, ut anseribus inter olores, licet, remotè ex sanguine, ut reliquæ partes omnes, rudimenta sua sumere, proximè vero ex molli & alba materia illa, quam in alveolis delitescentem oculi hi nostri notant, in dubium vocare non audeamus. Voca hanc pingue glutinosum, semen, mucum viscidum, imò scintapfi, darapti, selapton, nil interest, modo in re nobiscum convenias. Affluit hæc ab & eum sanguine per arterias, cujus subinde etiam vestigia adhuc repræsentant sub aliquali rubedine; imò compressi, ad instar pennarum pullorum gallinaceo-

rum aut avium, hunc manifestè evomunt salinis sine dubio particulis peculiaribus imprægnatam, quam Archæus immutat, disponit & ad formam convenientem & singularem duritiem deducit. In junioribus brutis, vitulis præprimis, in deliciis hæc nobis est materia, densque hac plenus vulgariter *der Milchzahn* vocatur.

XIX. Non statim aut in uteri tenebris concepti & quadantenus formati sunt, ruptis gingivarum claustris erumpunt, sed dum demum, si perfecti, ubi horum officio opus est, cum symptomatibus, quibus ut plurimum stipantur gravissimis, quorum *Hippocrates* partem recenset 3. aph. 25 ferendis tenella ætas par magis est, luci se sistunt, & quidem eò singuli ordine & tempore, quò necessitas exigit; præcedunt incisores nunc superiores nunc inferiores, sequuntur molares; horum enim operam tardius, illorum citius natura desiderat: nec mensis septimus primæ eruptioni aut añus septimus subsequenti adeo infallibilem in omnibus terminum præfigit, quin à naturæ mirè hinc ludentis robore & debilitate, gingivarum dentiumq; ipsorum dispositione, externis causis & impedimentis aliis, quæ ipsæ sæpè matres dum facilem dentium eruptionem promoveri quærunt, insciæ & invitæ obijciunt, modò anticipet modò postponat. Nascuntur nonnullis pueris antequam ipsi nascuntur, aliis paucis post partum diebus. Exempla non defuerunt omni ævo, antiquamque natura hodiernum obtinet, ut ut rarius, sine tamen miraculo, sine singulari boni vel mali omine; naturæ singularis vigor & robur subest. vid. *Helvvig. observ. phys. med. 28. Ephem. Germ. A. 8. obs. 47. Zuvingerus in theatr. vit. hum. prolixum historiarum catalogum congestit. Egressi insolitè se iterum subducunt, quod tamen Bartholinus notavit §. 4. hist. An. 65.*

XX. Brevibus de *Usu*, quem præcipuum ciborum in ore masticationem indicavimus. Sed nova non paucis suspicio hinc nascitur diversæ dentium à cæteris ossibus naturæ, quorum est dare *σίσιν ἄδου καὶ ὀρθότητα*, quæ singula asseri de dentibus ridiculum est. Verum usus diversus, ut & alia accidentia, rem non mutant. Tanti usus hic momenti est, ut ne vita quidem sine hoc facta tecta que esse possit, quæ è ventriculi coctione dependet, quam bonam felix pollicetur masticatio: recludit enim crassiorum ciborum nexum, ut ad interiora facilior fermentali humori aditus pateat, unde ordinariè hominibus omnibus debito tempore & ætate dentes conceduntur, rarumque est, *Borellò* referente, foeminam ad 60. usque annum

annum sine dentibus vixisse, *cent. 2. obs. 41.* gingivis durioribus vicariam sine dubio operam præstantibus, id quod in pueris edentulisque præprimis senibus usu venire itidem solet, sed vix sine ventriculi querimonia. Usnm igitur dentium non satis æstimavit miles ille Lusitanus, qui glande plumbeâ deficientem dentem sibi evulsi & in hostem explosit. 2. Magnam ori pulchritudinem conciliant præsertim primores: pessimi ergo formarum spectatores sunt Indiæ occidentalis Incolæ, qui anteriores sibi dentes elegantia studio extrahi curant *Hieron. Benzone Autore de rebus Indicis.* 3. Ad vocem articulandam homini subsidio sint, maximè jam dicti quibus se lingua laboriosas pronuntiatura literas affigit, extra subsidium hoc balba & manca. Vacillantes ideò aureò *Romani* filò firmabant aut insiticios substituebant, nec hodie artificium hoc à foro Medico penitus exulat. Denique *Galenus* cum lingua sapes judicare & distinguere credit *16. de us. part. 2.* *Homerus* ad garrulitatem homini compescendam datos esse, dum linguæ valli aut septi instar præpositi sunt, arbitratur; sed mittimus hæc & alia, quæ censuram merentur. vid. *Anatomici.*

XXI. Obiter tamen de meminisse hic duorum non debemus, 1. usus Medici cujus *Dan. Beckerus in microcosm. Schræderus in Pharmacop.* meminerunt, avulsos è maxilla mortui dentes contra veneficia valere. *Frideric. Hoffmannus* causam ab Archæo mortui petit in *clav. ad Schræder.* sed sit homo naturali peremptus morte. *Joh. Hartmannus* tactu suo corrosos alios frustillatim post aliquot dies educere in *prax. chim.* credit; fides sit penes experientiam. 2. Varia à dentibus prælagia sumi: apud *Oneirocriticos* casus dentium in somniis inter omnia sinistra est. *Vespasianus* inde non vanò auguriò somniavit se Principem fore Romanorum, cum *Nero* Imperator dentem amisisset ex *Dione. Ephemerides N.C. Ann. 1. obs. 100.* referunt, foeminam, quoties peperit filium, toties cum eo dentem sapientiæ accepisse, qui quoque dentes morientibus filiis iterum exciderunt, ut mater vacillante dente, filium, quo cum dens natus fuit, morbo aliquo laboraturum, excedente verò planè moriturum certò præviderit: contrarium *Thom. Bartholinus* in duabus aliis vidit, quæ toties dentem expuerunt, quoties liberos pepererunt, sed rationem retinet: olim etiam hoc observatum *Bartholom. Eustachius.* tradit, sed fabulosum arbitratur, aut si verum est, rationem nullam dari posse putat *l.c.c. 29.* tacentibus E. in Arte Heroibus his & nos impræsentiarum tacebimus,